



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 72. Lanfranci exordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

ignorantium illa ætate prævaleret, viro ^{Sæculum XI.}
doctissimo hunc laborem injunxit, quo ^{A C. 1050.}
ex Scripturis meliora edocerentur. Hic
ei de Carolo Calvo sermo est.

§. LXXII.

Lanfranci Exordia.

Lanfrancus illustrissimus ille Berengarii ^{vit. Sæc. 6.}
Adversarius natione Italus, Ticini ^{Ben. part. 2.}
ex Familia Senatoria natus, patrem ha- ^{p. 635.}
buit illorum ex ordine, qui Conservato ^{Boll. 28.}
res Legum civitatis dicebantur. Quo ^{Maj. to. 17.}
adhuc puer orbatus, cum ei ab amicis ^{p. 834.}
Dignitas defuncti Parentis destinaretur,
relicto Ticino in aliis urbibus literarum
studiis vacavit. Multo in iis consumpto
tempore rediit humanioribus scientiis
instructissimus. Exinde vero patriæ ite-
rum valedicens superatis alpibus, Henri-
ci Regis & Guilielmi Normanniæ Ducis
temporibus in Franciam venit. Socium
secuti sunt non nulli Palladis alumni, fa-
ma præcipui, & ipse Abrincis moratus
aliquamdiu collectos aliquot Discipulos
docuit. Mox vero perpendens, quam
vanum esset & inutile hominum laudes
captare, statuit ejusmodi vitæ Institu-
tum amplecti, quo soli Deo placeret, cu-
piens etiam hominum doctorum fre-
quentiam devitare, ne quis esset, qui
eum singulari honore afficeret.

Inter

Sæculum XI.

A.C. 1050.

Inter hæc, quadam die Rotomagum pergens, appetente jam nocte, per Silvam ultra Rifelam amnem incidit in latrones, qui cunctis quæ habebat raptis, ligatis a tergo manibus, mitella ante oculos admota, de via abductum inter condensa saltus fruteta abjecerunt. In his angustiis deprehensus, nescius ipse sui, cum fortuna iurgabatur. Tandem vero nocturno silentio sibi ipsi redditus, Laudes Deo persolvere cupiebat, & non poterat, quia Psalmos nunquam didicerat. Tum conversus ad Dominum, o *Deus meus*, ait, *tantum temporis discendo consumpsi, corpus & animum in studiis literarum attrivi, & tamen quomodo tibi laudis officia persolvere debeam non didici. Libera me ab hoc periculo. Exinde te auxiliante vitam meam ita institutam, ut tibi servire sciam & valeam.*

Surgente aurora audivit homines iter carpentes, & vociferando ab eis auxilium petiit. Illi primo expavescere, dehinc vocem miseri hominis agnoscentes, sonum sequentes quis esset, & quid vellet, intellexerunt. Ergo vincula solvunt, & liberum in viam reducunt. Lanfrancus deinde Servatores suos rogavit, ut monasterium in tota illa provincia pauperum sibi indicarent. Illi responderunt, vilius, & in quo res angustæ magis, nullum scimus, quam istud, quod in vici-

vicinia hic ædificat quidam homo Dei. Sæculum XI.
A.C. 1050.
Tum viam ei ostendentes, discedunt.

Hoc Monasterium erat Beccum, quod ante annos septem venerabilis Herluinus extruere cœperat. Forte Lanfranco gressus illuc movente bonus Abbas extruendæ fornaci intentus suis manibus operabatur. Cui Lanfrancus: *Deus te salvum faciat!* & Abbas: *Deus tibi benedicat! esne de gente Longobardorum?* Nempe dicentis lingua a genio Normanniæ divertens prodebat esse exterum. Respondit Lanfrancus: *omnino sum.* Herluinis: *quid vis?* Lanfrancus: *Monachus, ait, fieri volo.* Tunc Abbas præcepit cuidam monacho nomine Rogerio, qui etiam opus suum faciebat, ut illi ostenderet Librum Regulæ. Lanfrancus Reg. c. 58. ea perlecta dixit, se Deo adjuvante omnia servaturum. Quod audiens Abbas, & sciens, quis esset & unde, concessit ei, quod petebat. Ille procidens in faciem osculatus est pedes Abbatis, cujus humilitatem & gravitatem vehementer mirabatur.

§. LXXIII.

Herluinus Abbas Beccensis.

Helluinus, seu, ut tunc eloquebantur, vit. Sæc. 6.
Herluinus, ex primis stirpibus in Ben. par. 2.
Normannia natus erat. Pater ejus Ans- p. 343.
gotus a Danis, qui Normanniam primi
obti-